COMPENDIVM
VITAE, VIRTVTVM, ET MIRACVLORVM,

Necnon Actorum in causa Beatificationis, & Canonizationis

B. ROSÆ DE S. MARIA

Tertij Ordinis S. Dominici.


Ex Secretaria Congregationis Sac. Rituum.





ROMÆ,
Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ 1671.

Superiorum permissu.



VANTVMCVMQVE nostro veteri Orbi videatur rarum opus sapientię Altissimi flos quidam Indicus *Granadilla* dictus, vtpotè in quem vniuersa Dominicæ Passionis arma breui, mirabilique compendio digessit naturæ Author, vt vel simplici, pioque tenerrimi huius virgulti intuitu Christiana pectora sensim erudiantur ad suauem absconditi à seculis mysterij contemplationem, longè tamen rarius, ac mirabilius est opus Authoris Gratiæ in altero illo flosculo Americano, cui ex merito accreuit nomen hoc gloriosum: *Primus Occidentalium Indiarum flos Sanctitatis*; Sic Rosam de S. Maria appellitant fasti Vniuersalis Ecclesiæ, nempè virginem illam, seu potiùs Viraginem Peruanam ex tertio Ordine Sancti P. Dominici, viride, ac recens ætatis nostræ miraculum, cuius amœna, sed prodigiosa, tum forma, tum fragrantia, per vtrumque tam nouum quàm veterem Orbem vbique iam dedit *odorem suauitatis*. Vtique hæc Rosa, nisi ex portento Rosæ nomen accepisset diuinitùs, *Granadilla* dici merebatur, siquidem non tantùm in virgineo illius corpusculo Dominicæ Passionis instrumenta (sertum spineum, flagella, crux, fellis spongia, vinculorum nexus, desolationum tormina, cruentique agones) mirifico rubuere compendio, verùm etiam, quod maius est & pretiosius, in castissima illius anima singuli fructus eiusdem salutiferæ Passionis, vt candor sanctificantis gratiæ per totum vitæ suæ decursum illibatus, heroica virtutum infusarum exercitamenta nunquam interrupta, donorum Charismata præcelsa, raptuum lumina, demùm & Agni ab origine mundi occisi nuptiales arrhæ singulari pulchritudine granatim floruerunt.

Regum Ciuitas, vulgò *Lima*, Peruani Regni famosa Metropolis, Anno M.D.LXXXVI. Aprilis die 20. felicissimi huius flosculi aspexit ortum ex pijs coniugibus Gaspare Flores, & Maria de Oliua. Infans subsecuto mense Maio ibidem in sacra Diui Sebastiani Martyris æde baptizata, ob auiæ maternæ respectum Isabellæ, seu Elyzabethæ nomen accepit, sed tertio post mense in cunabulis tenellam eius faciem vernantis rosæ patula effigie mirabiliter immutatam obseruarunt binæ sorores, ancilla domestica, tandem & mater; hinc repentino Genitricis instinctu virgini deinceps adhæsit Rosæ nomen, quod deinde religiosissimus Limensium Archiepiscopus Turibius Alphonsus Mogrobesius puellæ in sancto Chrismate (non absque cœlesti vt creditur afflatu) confirmauit. Nec sanè abfuit grato omini

 diuina

diuina approbatio, nam virgo iam adultior cùm de rata ſui nominis metamorphoſi angeretur, coram Deiparæ ſub titulo Roſarij proſtante imagine fuſis vbertim lachrymis ingenti ſolatio didicit, hoc in ipſa floridum nomen & Deo Filio, & Virgini Matri vnicè perplacere; Neque exinde ab his aliter compellata fuit; quin ipſemet Sponſus Virginum ſic aliquando ipſam affatus eſt: *Roſa cordis mei, tu mihi Sponſa eſto*: Nimirum decuit, primum Americæ florem tanto ſacrandum Numini Roſam eſſe, ac dici.

Præuenta igitur in benedictionibus dulcedinis Roſa iuuencula mox primo ætatis quinquennio perpetuæ virginitatis emiſit votum, & vt ore conſono affirmarunt ipſius vndecim Confeſſarij (ſex nimirum ex Ordine Prædicatorum, & alij quinque ex Societate Ieſu) totius mortalis vitæ curriculum abſque nævo vllius lethalis culpæ innocenter peregit, ſancti propoſiti ad vnguem tenaciſſima. Vix infantis Roſæ labella cœperant balbutire, quando iam deprehendebatur aſſueuiſſe his modulis orandi iaculatorijs: *Benedictus ſit Ieſus, & eſto cum anima mea, amen*. Vſque adeò, vt etiam per noctes in ſomno identidem has voces audita ſit creberrimè replicare. Dehinc paulò adultior vocali orationi mentalem ſola magiſtra vnctione peritiſſimè adiunxit, eo ardore atque ſucceſſu, vt comperta ſit anno ſuæ ætatis duodecimo per altiſſimos diuinæ contemplationis apices iam perueniſſe ad gradum, quem vocant *Vnionis cum Deo*. Et in hunc mira facilitate ſic omnes animi ſui motus, vires, potentias, affectus, collegerat, vt nihilominus interni, externique ſenſus ad ſingula vitæ actuoſæ officia, vſumque expeditè ſufficerent; quod Sanctorum pauciſſimis datum eſt. Verùm ne magnitudo cœleſtium illuſtrationum, forſan adoleſcentulam extolleret, datus eſt ei ſtimulus deſolatorius, agon intimi pauoris, fundumque animæ terrefaciens, caligo mœſtiſſimæ derelictionis. Sub hoc ſpiritus laniatu per ipſos quindecim annos continuos dietim laborabat afflictiſſima ad aliquot horas, pallebat, areſcebat, emaciebatur arcanis deliquijs, donec à vultu Sponſi miſerantis rediret blanda, & aprica ſerenitas. Nempè ſic aurum probat diuina fornax, ſic eruditur natiuæ ſuæ ſterilitatis conſcia humilitas, ſic ſolidatur fidelitatis conſtantia, ſic formatur profunda ſui agnitio in baſim altiſſimæ ſanctitatis.

Creſcebat cum ætate mortificationis ſtudium, ieiuniorum auſteritas, fuga ſecularium vanitatum, amor ſolitudinis, odium carnis; meditandi aſſiduitas, & ſub dira corpuſculi maceratione robur, ac pinguedo ſpiritus. E contra vario ſtrategemate laborabat Mater, vt filiolam ad pompam veſtium, ad ſalutationes Matronarum, ad fucos, & nitores, ad blanditias geniumque mundanum imperio, vi, clamore, verberibus importuniſſimè reuocaret; idem reliquorum dome-

ſticorum conatus fuit, & quotidiana in ſanctam puellam crudelitas, nam opulentiſſimis eam nuptijs, ob eximiam formæ venuſtatem ſpe certiſſima deſtinarant. Vicit tamen adamantina Roſæ perſeuerantia, Senenſis Catharinæ exemplo ac ſpiritu cataphracta, ſiquidem hanc à teneris ſibi matrem ducemque elegerat, huius imitatione ſeptennis clam ſibi præſciderat formoſam capitis cæſariem, relicto ſolùm in fronte modico capillitio, quo & factum celaret, & quam occultè geſtabat coronam, nonaginta tribus ex metallo ſentibus aculeatam.

Tot igitur annoſæ patientiæ trophæis inclita, tot arduis exercitata prælijs, tot aſpertimæ vitæ præludijs erudita, prolixo tot ſuſpiriorum, gemituum, lachrymatū ſumptu, demùm obtinuit vigeſimo ætatis anno, vt conſentiente Matre cooptaretur palàm in filiam S.P. Dominici, aſſumpto S. Catharinæ Senenſis habitu, quo candent Sorores Tertij Ordinis, vulgò *de Pœnitentia*. Hic Virgo, tanquam paludamento altioris militiæ nouiter auctorata, quaſi nihil aut parum egiſſet hactenus, duplicare ſeucrioris pœnitentiæ cruenta gymnaſmata, magnis paſſibus metiri Seraphicæ Matris ſuæ veſtigia, circumdare lumbis catenam ferream triplici circumductu, rudiori & acubus interſtincto cilicio, obloricare corpus vſque ad genua, augere noctium vigilias, multiplicare creberrima ſcapularum flagra, aduncis fibulis filatim aſperata, in hebdomadarum ſpatia protrahere inediam, quæque in puerilibus annis vouerat (quoad per ſuperiorem, & Medicorum arbitria liceret) omnem à carnis eſu abſtinentiam, nunc Monialis eam ſibimet indicere ieiunandi legem, quæ planè ſuprà naturam eſſet; Nam integras Quadrageſimas tranſigebat ſine pane, dietim quinis duntaxat aurei mali granulis in memoriam quinque vulnerum Chriſti ſeſe reficiebat, ſeptem verò menſium ex Ordinis ſui præſcripto ieiunium à feſto S. Crucis exaltatæ vſque ad Paſcha ſic obſeruabat, vt non niſi ad veſperam exigua panis villoris buccella, hauſtuque frigidæ aquæ ſedaret famem. Sæpius, ac præcipuè ſextis ferijs palatum & viſcera cruciabat felle veruecino; quod in hunc vſum potabile ſeruabat in ampullis, vt Chriſti ſui in Cruce ſitibundi guſtaret ſpongiam. Interdum, vt Matri videretur lautiùs obſonare, amariſſima Granadillæ folia, ſubinde alias è ſylua extremæ amaritiei herbulas iniectis ad ſpeciem paucis vuarum ſiccarum acinis in pulmentum adhibebat. Quod ſi ægra peremptorio Medicorum iuſſu cogeretur bolum elixæ vel aſſæ carnis inuito ſtomacho ingerere, mox nauſea ſuperante adigebatur magno faucium cruciatu acceptū quaſi toxicum foras eijcere. Tota Roſæ ſeu languentis, ſeu valentis lautitia erat panis cruſtula aquis intincta, hoc vno caſtigatiſſimæ ſobrietatis ferculo paſcebatur ſana, conualeſcebat ægra; cibi ſi qui obtrude-

trudebantur delicatiores, augebant morbum, panis & aqua reddebant valetudinem.

At fortè lectulus ei fuit humanior? nihil minus. Constabat is nodosa inæqualium truncorum compagine, quorum interstitia densè implebat fragmentorum testaceorum acuminata congeries, ceruicali aut saxum erat, aut fultum sudibus puluinar. Tali equuleo committebat extenuati corpusculi lassitudinem, sed ad quietem breuissimam; Nam ex viginti quatuor horis vix duas indulgebat sopori miserrimo; digna tamen quam Mater misericordiæ cœlitùs conspicua sic iacentē inuiseret, dulcique affatu ad preces antelucanas quotidie excitaret; digna cui apparens ibidem Christus horrorem sæuissimi illius strati mitigaret, protestans, duriorem sibi lectulū Crucis fuisse in Monte Caluariæ. Quin alijs quoque artibus Rosæ vigili pugnandum fuit in obrepentis somni molestias: prægrandem in cellula Crucem habuit, illius prominenti clauo immittebat Virgo capillos, qui sibi in fronte (vt dictum) remanserant, vt sic pendula ex capillis acri dolore somnum vinceret, ac erecta in oratione perstaret vsque manè. Interim amplexu creberrimo stringebat Crucem, lambebat osculis, perfundebat lachrymis, afflabat suspirijs, dulce lignum, dulces clauos, dulce pondus implicabat brachijs vsque ad liuorem pectoris, manuum, lacertorum. Quid quòd sæpiùs intempesta nocte domesticum perambulabat hortum onusta trunco grauissimo, vt sese hoc schemate adsociaret Sponso Redemptori Caluariam petenti sub diro patibuli sui baiulatu.

Matris permissu demùm impetrato, sibimet in extremo illius horti angulo fixit recessum arctæ solitudinis, paruo tugurio proprijs manibus contabulato, vbi domesticis exempta tumultibus vni vacaret Deo. Longitudinem eius habitaculi Rosa in quinque pedes, latitudinem in solos quatuor exporrexerat, lepidè contestata, id spatij abundè sibi, Sponsoque sufficere; clauim seruabat mater, nec filiæ interdiù patebat exitus, præterquàm ad Templum comitante matre, quæ si ferialibus plerùmque diebus impedita Virginem ad Missas in Templum educere omittebat, nihilominùs Rosa, vt erat suo reclusa tuguriolo, per interiectos plurium vicorum parietes, domos, anfractus ita oculis aspectabat singula quotquot in propinquiori Ecclesia fiebant altarium sacrificia, ac si toto corpore ijsdem è vicino pressiùs interesset. Reliqua illius angustissimi receptaculi arcana, è cœlo solatia, mentis in Deum eleuatæ copiosa lumina, casti amoris ignita colloquia, visibiles cum hoste infernali monomachias, luctas, victorias quis enarrare sufficiat?

Porrò inter hæc omnia humilis Virgo sibi videbatur nil agere aut pati in Sponsi famulatu, seipsam redarguebat supinæ ignauiæ, vocifera-

batur

batur se indignam communi aere, mirabatur se viuam terræ hiatu nondum absorberi; ad pedes Confessariorũ lachrymis plena singulticbat, minimos quosquè defectus ità exaggerans, quasi atrocissimorum scelerum cumulatim rea foret, publicas Vrbis aut regionis calamitates suis imputabat demeritis, ægritudines, (quas penè ab infantia & creberrimas, & acutissimas iugiter sustinuit) acceptabat, imò amabat ceu vindices, ac iusta supplicia suæ in Deum perpetuæ ingratitudinis, prouocabat in se omnia mundi elementa ad vindicias iniuriarum, quas eorum Creatori à se illatas querebatur, credebat firmiter, & ita ab omnibus credi satagebat, omnium se creaturarum esse abiectissimam, pestilentissimam, sordidissimam, næuum execrabilem infelicis seculi, Orbis maculam, humani generis vltimum carcinoma. Hinc sicubi deprehenderet ab alijs de religione, ac modestia se tantillùm commendari, cruciabatur misera, expallescebat quasi ad subitum fulmen, protestabatur, diffluebat lachrymis, dehiscebat illicò se mergens in abyssum humilitatis. Accidit, quòd è vicino ædium conclaui obiter audiret personas graues de Rosæ tanquàm absentis mirabili vita honorificè ac secretò confabulantes. Expauit, horruit, adtremuit exsanguis virgo, angore, fletu, mœrore distabuit, ac seipsam durissimè obiurgans, ter quater illisit pugnum aculeatæ capitis suæ coronæ, fluxerunt sub velo sanguinis riui, vt acrimonia doloris ingratissimum alienæ laudis obtunderet auditum, stimulosque stimulo depelleret sæuiori. Quid multa? Familiaribus suis ingenuè profitebatur humilis Rosa, plectendis suis criminibus haud sufficere communem gehennæ rogum, alium sibi deberi singularem infernum, ac veteri profundiorem, longèque deteriorem.

Cœterùm cor adeò contritum, & humiliatum respexit, non despexit amabilis ille, ac speciosus forma præ filijs hominum, sanè diffusa est gratia in labijs eius, cum dixit Virgini: *Rosa cordis mei tu mihi Sponsa esto*. Nec distulit eodem momento attonitæ suæ Rosæ de tantis nuptijs gratulari Deipara, augusto, plenoque ore subiungens: *En Rosa, quali te dignatur fauore hic meus filiolus?* Exindè felix Rosa conspicuum suæ desponsationis gestauit anulum, inciso hoc lemmate diuinitùs suggesto: *Rosa cordis mei tu mihi Sponsa esto*. Sed prodigiosum est, quòd idem anulus post obitum Rosæ non desijt attactu solo mirabilitèr in piorum cordium fundo operari. Pergebat interim prudēs Virgo etiam in tanto diuini connubij thalamo de se sentire humillimè, precari sæpiùs ancillam domesticam, vt se humi prostratam calcaret pedibus nec parceret, obire vilissima domus ministeria, omniquè cautela, ac studio celare pretiosa charismata, cœlestes gratiarum diuitias, ineffabiles animæ thesauros, quibus in dies

affluen-

affluentèr à Sponso corculi sui pro dignitate Thalami dotabatur. Sic exaltata adhùc solicita erat quotidiè suas recitare culpas Sanctissimo Patri suo Dominico, velut capitularis vsu virgidemiæ ab ipso corrigenda; Ne cauus pallor macilenti vultus proderet austeritatem ieiuniorum, vanæ gloriolæ metu exorauit Sponsum, vt viuidum suæ faciei colorem, vegetamque inderet plenitudinem, qua inediæ suæ maciem dissimularet. Aliquandò nimijs Confessariorũ interrogationibus fatebatur, à prima se pueritia rogasse Deum, vt quicquid mirabilium aut iam cœperat, aut disposuerat in Rosæ suæ paupere animula misericorditèr operari, totum lateret, nulliquè patefieret, seù curiositati mortalium, seù rimulæ ostensionis. Hinc tametsi Virgine inuita ex ijs promicuerint fosas cõplusculá, & certè non mediocria, plurima tamen, eaquè grandiora credibile est, nec ipsismet Confessarijs obliquè omnia scrutantibus innotuisse. At sanctimoniam dùm velat reuelat humilitas.

Vndequaque Rosa captabat laudes, at soli Domino. Imperabat excelsis horti arboribus, vt in reuerentiam Conditoris plauderent, & alta cacumina ad terram vsquè curuarent: paruerunt; plauserunt festiua ramorum agitatione, humiliauerunt capita sua Deo. Aestiuis noctibus angusto Rosæ tugurio immigrabát è vicinis arboribus prædensum agmen culicum, at virgini Rosæ semper innoxium; huic siuè mandaret solitaria nostra, vt secum laudaret pro modulo suo communem vitæ largitorem, obtemperabant omnes, volucrique in orbem Choro consibilabant bombis argutulis, mixtisque non confusis ordinibus; seù iuberetur canora hæc tuba post obsequium quiescere, mox tota simul conticescebat, vniformi silentio affixa parietibus. Mirabatur in his Rosa non suum miraculum, sed bestiolarum obedientiam, sumptaque indè noua humilitatis materia seipsam increpabat, ceu illis in Deo laudando pigriorem. Idem Rosæ imperium fuit in volucres pennatas, seù pullum gallinaceũ lepidè animaret ad cucurciendum nè coquæ præberet iugulum, seù inuitaret auiculas ad alternos modulos secum depangendos in gloriam Creatoris. Neque segniùs Rosæ nutum reuerebantur immanes Tauri in extremam aliundè rabiem exstimulati; nam ad sanctæ Virginis conspectum eminùs, ac repentè didicerant innocentibus parcere. Adstupuerunt huiusmodi prodigijs quotquot spectabant, sed his nequaquam efferebatur humilis Rosa, vtpotè ad omnes vanæ gloriæ occasiones edocta se se in infimo sui nihili fundo abscondere, vbi à circumeunte superbo Dœmone nec attingi posset, nec inueniri.

Attamen inueniebatur illic à Sponso purissimo, à Regina Virginum, à Cælitibus, quorum frequenti apparitione, colloquio, solatijs fruebatur.

batur. Angelum suum tutelarem adeò sibi familiarem habuit, vt illo vteretur ad varia amicissimæ promptitudinis officia, modò vt Veredo, & ad personas dissitas Internuncio, modo velut Ephæbo nobilissimo, interdum vt Ostiario ad occlusas fores, vt in obscuris duce præambulo, vt congerrone suauissimo, vt hyperasposte fideli in duris conflictibus, quotiescumque sibi cum fœdis Inferni lemuribus, molossis, laruis, gigantibus, ac tenebrarum potestatibus luctandum fuit.

Seraphica Rosæ Mater, & assidua Magistra Beata Catharina Senensis affabili consuetudine dignabatur cælitus charam sibi discipulam, recreabat lassam obtutibus serenis, erigebat afflictam, medebatur inflato, & ad labores inutili brachio, approbabat sedulitatem obsequij, studia, cultum, quo simplex, & inops Rosa illius sacram Iconem ad processiones efferendam, collectis vndique subsidijs, repertisque non sine miraculo gariophyllis, deuotissimè exornabat.

Subindè visa est Rosa sub porticibus coambulare paruulo Iesu manibus vtrinque mutua implicatione consertis. Legebat interdiu Rosa, & conspicuus inambulabat codici pusillus Mariæ filiolus. Nebat Rosa, & nentis puluillo insidens pulcherrimus infans, tacitis at ardentibus ocellis blandiebatur sponsæ humili. Virium deliquio prostrata fatiscebat Rosa, & ecce apparens Christus, exanimem vulnerato suo lateri visibiliter applicuit, sugendi copiam indulsit, labascentem robusta dulcedine, haustuque viuifico benignè refecit. Et nihilominùs sub tantis Cæli fauoribus crescebat inuicta Rosæ humilitas, occultabantur miro ingenio rara hæc priuilegia fulgidæ sanctitatis.

Nec tamen potuere illius lumina cohiberi quin ab orãtis vultu confertim erumperent; Nam per noctes, & secreta tenebrosi cubiculi tantus geniculanti Virgini in meditatione exarsit ignis, vt facie, velut face, totum sæpius reclinatorium collustrarit. Aliàs decumbenti filiæ assidens Mater notauit in eius radiante vultu splẽdorem quasi Angelicum. Plerumque Rosæ, cùm de Deo loquebatur, inardescebat anhelum pectus, accendebantur genæ, scintillabant oculi, totusq; modesti oris habitus, atque halitus prodebat cordis amore saucij latens incendium.

At quotiès coram Altari ad mensam Eucharisticam sinuosam à pudicissimo vultu pallium remouebat, tantisper, vt Diuinam perciperet Hostiam, Presbytero sacram Communionem porrecturo videbatur flammescens aperiri Clibanus, vim erumpẽtis repẽtini ardoris adeò sentiebat pauidus Sacerdos, vt sæpè manum retraxerit præ subito metu adustionis; Idem experiebatur in se Minister sacrificantis

 dùm

dùm ex more scyphum ablusionis dabat in manus Virginis post S.Hostiæ sumptionem.

Itaque non mirum, quod eiuscemodi ardores in Virgine tantam excitarint sitim martyrij: Deplorabat quotidiè infelicitatē suam, quòd sibi non obtigerat nasci eo sæculo, quo primitiui fideles absque sexus, aut ætatis discrimine rapiebantur promiscuè ad dirissima pro Christo supplicia, ad pyras, bestias, omnisquè sæuitiæ lanienam. Optabat, modo id sibi per conditionē sexus licuisset, residuis in intimo Americæ Barbaris prædicare Euangelium per alpestria desertorum montium obstacula, penetrare ad populos antropophagos ad gentes ferocissimas, vt illic seminando fidem profunderet vitam, imbutisque veneno iaculis trucidata recumberet: Ac semel quidem nam procul abesse videbatur occasio tantoperè concupita, nempè hostilis Batauorum classis aderat inhiabat litteris, mo: Limam tunc inermem cædibus, ferro, flammis vastatura: Imbellis populus ad Aras Templorum confugerat, expositoque illic adorabili Sacramento trepidissimè supplicabat: Rosa cum suis in æde Sancti Dominici coràm prostante ibidem S.Hostia præstolabatur impauida, parabat iugulum, & ad singula crescentis periculi nuncia nouo gaudio exultabat; iamque correptis forficibus longæ vestis impedimenta sibimet alacritèr vndequaquè præsciderat, interrogata quid ageret, respondit: Sic trunca in veste agilior stabo in Altaris crepidine, pugnabo in sacrilegos, pro Christi corpore meum obijciam strictis irruentium mucronibus, vt me primùm conficiant, diuidant, ac fustillatim discerpant, sicquè tardiùs saltim pertingant ad diuinam Hostiam impiè proculcandam: Sanè videbatur adstantibus non Virgo, sed Leæna loqui: Cessauit atrox periculum, & Rosæ sua redijt mansuetudo, sed amarissimè planxit ereptam sibi martyrij occasionem, quam, vt saltim in alio recuperaret, modum excogitauit, quo sumptus ex pijs eleemosynis conquireret ad educandum, scholisquè applicandum puerum alienum, qui deindè grandior litteris instructus, & sacris initiatus hoc vnum suæ rependeret Educatrici, vt missionem obiret apud vicinos Barbaros, & in prædicatione Sancti Euangelij vitam profunderet. His desiderijs flagrabat Rosa, his nitebatur accendere cuiusuis Ordinis viros Religiosos, vt ad conuersiones Infidelium animosi pergerent, his inflammabat quoscumque poterat famosos Concionatores, vt omissis floridarum subtilitatum quisquilijs rudem populum ad salutaria, & robusta virtutum exercitia grauitèr erudirent, his vrgebat sacratiorum litterarum studiosos, vt sepositis inutilium quæstionum apicibus ea sectarentur auidiùs, quæ ad procurandam animarum salutem conducerent, his identidem, se-

rioque

rióque protestabatur, si id sibi liceret vltrò se interdiù, noctuquè, ituram per vicos, & plateas in sacco, & cilicio in planctu, ac voce Tubæ, hortando populum, inculcando timorem Numinis, prouocando Ciues ad pœnitudinem delictorum: Solus ad hæc Rosæ deerat sexus, non animus, non zelus, non copiosa doctissimi oris facundia, sicubi de Diuinis ei dissertandum fuit: Adstupuere Virginis ingenio celeberrimi Theologi, quod citrà omne litterarum studium puella simplicissima, tàm altè, perspicacitèr, acutè saperet in arcanis Fidei mysterijs, quòd conceptibus tàm luminosis, quòd verbis tàm appositis occultissima quæquè, ac difficillima de Trinitate, de Verbi Incarnatione, dè Redemptionis humanæ admirabili œconomia, de Beatorum statu dogmata explicaret: Iam ab ipsa infantia cœlitus edocta Rosa, fido S. Catherinæ Senensis magisterio, callebat discretionem spirituum claro dotata radio, quo falsas reuelationes à veris absquè errore dignosceret, vndè Angelus tenebrarum, quantumcumque in lucis Angelum se transformaret, nunquam potuit versuti splendoris mendacio Virginem irretire.

Altiùs tamen irradiabat suæ Rosæ ipsamet æterna Sapientia, vt non solùm viderat procul dissita, quasi propinqua, & sub oculis coram posita, verùm etiam vsque ad secretissimos alienorum cordium recessus limpido intuitu penetraret; Statum animarum, velut in obiecto speculo luculentè cerneret, atquè discerneret, prophetico lumine multiplicem futurorum euentuum seriem clarissimè præuideret: Nondùm extabat in Limana Metropoli illum sub nomine Sanctæ Catherinæ Senensis Monasterium, sed nec vnquam ædificandum sperabatur, adeò obstabant non solùm manifesta omnium requisitorum penuria, sed & humana Consilia, Regia Diplomata, alijque nouarum inibi fundationum obices nullis conatibus perfringendi, quinimò nè tentandi quidem: Nihilominùs Rosa cælestium decretorum conscia, suorumquè vaticiniorum secura, persistebat, vbiquè & palam asseuerans intrà pauculos ab obitu suo annos eiusmodi sacrum Parthenonem Limæ fœlicitèr assurrecturum, numero, ac religione candidarum Sanctimonialium insignitèr floriturum, suammet Genitricem, tametsi à regulari statu semper alienissimam, tandèm in eo Monasterio solemnitèr velandam, ac Deo dicatis immobilitèr aggregandam. Videbatur incredulis nugari simplex Rosa, deludi somnijs, vacillare cerebro, at ipsa ex alto certissima, designabat insuper locum vbi constituturum esset Monasterium, compellabat ex nomine Fundatricem nil minus tunc cogitantem, indicabat nonnullis, quòd ibidem Ordinis habitum essent assumpturæ, demùm arrepta coram domesticis breui tabella vniuersum futuri Monasterii situm, figuram, dimensiones, ordinem, peristylia, officinas perito li-

nearum ductu effigiauit, ac singula, quo prædixerat systemate, euenerunt: longum foret cætera huius generis minutim prosequi, vt germano fratri procul in Chilensi Regno absenti prædixerit coniugium, & primam sobolem fæmellam, cuius nascentis vultui conspicua insideret rosa, vt diuersis in mortuali agone luctantibus, alijs quidem instantem vitæ terminum, horámque prænunciârit; alijs recuperationem pristinæ valetudinis promiserit, imò & impertiuerit, vt ancillam æthiopem peregrè venientem re vera nullibi (quicquid ea fingeret) baptizatam fuisse diuinitùs agnouerit, aliaque complura etiam abstrusissimè recondita miro instinctu reuelarit.

Verùm oculatissima in diuinis Rosa, quam lynceam, aut aquilinam possidebat aciem ad intuenda cælestia, tàm lippiebat ad terrena, & sæcularia; Numquàm oculos humi demissos attollebat coram alloquentibus seù notis, seù ignotis. In Templo dum prostabat adoranda salutis Hostia, sic geniculans immobili obtutu in eam defixa obrigescebat, vt quicquid vel mobili commeatu prono intercurreret, vel propius in pupillas ferè impingeret, nil videret, imò obiectis nec minimo palpebrarum nutu adnictitaret. Satagebat Mater, vt filiam domo nonnunquàm educeret ad vrbana salutationis officia: Sed Rosa clàm sibi oculos mordaci fricabat pipere, vt tumido rubore, ac stillicidio vtriusque luminis excusata, liberiorisque aeris impatiens, domi potius residere permitteretur. Ob hoc à Matre duriùs obiurgata, deque incurrendæ cæcitatis periculo clamorosè monita; grauiter modestèque respondit: *Vtiquè præstet omninò cæcutire, quàm friuolas mundi ineptias videre.*

Porrò vt nauseabat Virgo ad vana quæque pomparum spectacula, certè non horrebat, non fugiebat, non auersabatur pauperum vlcerosas plagas, gangrænas putridas, fluentem saniem, cruenta rheumata, scabiem fœdè crustosam, petigines, ac purulentas immunditias, his pia commiseratione visendis, obstergendis, lauandis, obuoluendis mirè oblectabatur compatiens Rosa, his auidè inhiabat, his tractandis applicabat manus, imponebat emplastra, impendebat curas, & opem, hæc perquirebat in nosocomijs, in vicinarum ædibus, in plateis, hos vniones, has gemmas reputabat vnicè misericordi suo adspectu dignissimas, suo charitatis studio opportunas. Ac semel Virgini in his occupatæ leuiter obrepsit violenta stomachi euersio, vbi infirmæ cuiusdam phlebotomæ exceptum pelui conspexit sanguinem virulentum, putridum, nigerrima sanie maculosum. Hic sibimet irata, & improuisam nauseam, quasi immane scelus celeri vindicta satagens expiare, clàm in angulo totam peluim admouit labijs, omnemque illam purulentiam ad fundum epotauit. Conscia facti Matrona nobilis (cuius in ædibus id contigerat) amicè Rosam in-

crepuit,

crepuit, sed humilis virgo, tanquàm in facinore deprehensa, enixè veniam flagitabat, vltrò etiam se se nimiæ temeritatis accusans.

Sic Rosa famulabatur Christo in proximis egenis, ac desolatis; vicissim Christus opitulabatur suæ Rosæ in subleuanda Parentum notoria egestate. Laborabat subindè graui inopia paterna domus, onusta prolibus, aliquandò cuppa mellis defecerat, aliquandò panis in penuario, vinum in dolio, Nummi in arca, quibus rigido satisfieret creditori, at Rosæ nunquàm deerat secura de Sponsi liberalitate fiducia, veluti qui Sponsæ dudùm, ac disertè promiserat, se Parentum necessitatibus prouisurum, dùm ipsa, vt solebat, manuum labore ad sustentationem numerosæ familiæ non sufficiebat. Nec fefellit promissis: nam ad Rosæ preces vacua mellis cuppa ad summum vsquè labium impleta stetit, siccatum dolium vino permaduit, penus recentibus, & peregrinis, candidisque panibus extumuit, pecuniæ ab ignota manu adfluxerunt eo pondere, quod iustè responderet debito expungendo. Plurima hic aggerenda forent, de patulis, de secretis misericordissimæ Rosæ eleemosynis, vestibus, edulijs, quibus affatim ipsa pauperrima pauperum calamitati, nuditati, inediæ consulebat, adeò vt Mater inopum titulo verissimò diceretur. Intereà mundo illuxit annus ab Incarnati Verbi Natiuitate 1617. qui Rosæ vltimus, & virginitatis suæ trigesimus secundus fuit. Hunc intrepida expectabat, præsciens locum, diem, horam, qua spineto ærumnosæ mortalitatis excerpenda, Sponsique Paradiso foret immigratura. Præostendit ei Christus in illa memorabili trium iridum visione, quibus cruciatibus esset agonem lethiferum consummatura, vt per acerbissima experimenta, & scalas Crucis recto, sed rigido calle, in beatam requiem euolaret. Itaque Calendis Augusti circa mediam noctem Rosæ corpusculum cœpit mortiferis exerceri doloribus, creuit in dies morborum vis & numerus, hæsit, stupuit omne Medicorum ingenium, potuisse tot simul ægritudinū species in vnam confluere personam. At æquanimis Rosa *Domine*, inquiebat, *adauge mihi dolores, sed pariter adauge patientiam*. Denique omnibus moribundorum Sacramentis deuotissimè præmunita, albescente die 24. Augusti purum exhalauit spiritum in manus Creatoris.

Nec mora: eruperunt confestim portentosa magnalia, quæ hucusque absconderat sancta Humilitas: viuidus defunctæ color, faciei maiestas, ac florida pulchritudo, flexibilium manuum pellucidus nitor, repentina decori cadaueris suaue olentia de feretro, corusca multiplicium signorum prodigia totam sedibus euocauit Limam, nemine inuitante: accessit vltrò Archiepiscopus cum vtroque Clero, Prorex cum Proceribus, illustria tàm sæcularium quàm Religiosorum Col-

legia cum vexillis, Populus vniuersus cum pressura. Reputabat sese felicem quisquis è promiscua turba posset ad sacri corporis pertingere contactum, adfricare Rosarium, deosculari feretrum, aut saltim à longe illius amœnissimo perfundi odore, libare oculis radiantem à carne virginea sanctitatem. Efferendo cadaueri certatim supposuere humeros Primores Ciuitatis, alternabant sub tāti funeris ambitioso baiulatu præcipuæ Dignitates, vicatim ex omni compito, fenestris, tectis, acclamauit vndique plebeia vociferatio, *Sancta Rosa ora pro nobis*.

Deniquè per confertam multitudinem ægrè in Templum S. Dominici eluctata sandapila stetit in propatulo. Hic verò in alterum vsque diem circumposito Proregis armato satellitio laborandum fuit in turbis dimouendis, nè sacrum corpusculum (sexies jam de integro reuestitum) ab auidis reliquiarum diriperetur. Interim circa feretrum liberius densa crebrescebant miracula, admoti debiles, claudi, attracti, languidi, mox in omnium conspectu subitam obtinuere sanitatem. Neque cessauit miraculorum gloria Rosam in tumulum comitata, quinimò longè frequentior indè promicuit, iamque in vniuersum ferè Christianum Orbem salutifera thaumaturgæ Rosæ experimenta promanarunt vberrimè in testimonium Sanctitatis.

De his tandem legitimi Processus Apostolica authoritate confecti, & in Almam Vrbem transmissi ex vsu S. Matris Ecclesiæ accuratum examen subierunt, omnibusque formitèr (vt vocant) discussis, Congregatio Sacrorum Rituum censuit constare in primis de validitate Processuum, nec non de fama Sanctitatis, de virtutibus Rosæ Theologalibus, Cardinalibus, earumque annexis, & quidem in celsitudine gradus heroici. Item de copiosa miraculorum serie carptim selecta fuere infrascripta, quæ idem Sac. Rituum Tribunal tanquàm luculentèr, ritè, solidèque ex concludentibus probationibus deducta agnouit, approbauit, admisit.

Primum videlicèt in puella nouenni *Marta Sanchez, aliàs de Iesu*, quæ circa sextum ætatis annum fortuito in terram prolapsu Corpus tàm durè allisérat, vt exindè contractis tibijs, pedumque sensu deperdito, omnem prorsùs ambulandi, standique amiserit facultatem, proindè lectulo semper hærebat immobilis, & per annorum incrementa crescente infirmitate, ac sensim dilapsis viribus ita per triennium in dies languidior iacuit, nil ei proficientibus quibuscunque humanis remedijs. Tandèm igitur parentes, emisso voto nouenæ ad sepulchrum Rosæ suppliciter exigendæ, filiolam illuc dietim apportatam insternunt tumulo defunctæ Rosæ: At nona die (quæ vltimum voti complementum erat.) Filiola sepulchro per aliquot horas incumbens, repentè se se in pedes erexit, cunctis admirantibus cursu

agili

agili peruolauit ad Patrē, qui manu appræhensam in miraculi comprobationem libertimè toto Cœnobij claustro circumduxit, inde gaudiorum plenus incolumem puellam reduxit domum, nec vllum pristinæ inualetudinis in prole sic restituta superfuit vestigium.

Alterum in persona *Isabellæ Daran*, cui apoplexia in paralysim terminata, brachium exsiccarat, omnemque illius vsum à quinque circitèr mensibus cruciabilitèr ademerat, neque iam ad aliud præterquàm ad inutile pondus, & continuos dolores gestabatur ab humero prædensis fascijs obuolutum. Prostabat in Templo corpusculum Rosæ iam iam tumulandum. Hic mulier fide plena, vt sancto cadaueri brachium applicuit, mox fascias explicuit, palàm clamitans integerrimè se curatam, publicèque in miraculi fidem robustè hac illac iactauit brachium gestu, motuque expeditissimo, ac si nunquàm languisset.

Aliud non absimile in Didaci de Ayala seruo Æthiope, cui ex neruorum attractione, & tenaci plica brachium dextrum, ac manus à pluribus annis denegabant officium. Itaquè ad famam defunctæ Rosæ cum reliqua turba penetrauit in Ecclesiam Diui Dominici, commendauit se Sanctæ Virgini, experrexit illicò sanatum brachium, illudquè in sublime elatum magnis vocibus ostentauit multitudini circumfusæ. Qui seruum familiarius nouerant, accessere propiùs, gratulabundi, nec dedignati osculis fatigare manum beneficio Rosæ iam patulam, ac rediuiuam.

Amplius *Magdalena Chimasso* nobilis Inda (vtpotè de stirpe Regulorum Chincensium, quos vocant *Caciquos*) in allatis sibi particulis vestium Beatæ Rosæ, inuenit sui desperati languoris medelam euidenter miraculosam. Plusquàm triennium decubuerat misera corporis dimidio quasi præmortua, nam ab vmbilico vsque ad plantas ita neruis, artubusque exaruerat, vt non nisi lanato velleri potuerit insidere, in eo nec latus mutare, nec spontè se ipsam valebat erigere, neque aliter, quàm cum illo huc atque illuc deportari. Medicæ artis omne tentatum ingenium, at frustrà. Denique concepta in B. Rosam fiducia supradictas è vestibus illius reliquias coxis, genu vtrique, cruribus deuotè applicuit, vitam, robur, vigorem in singulas partes redire sentit, vestimenta, quibus penè desueuerat, postulauit, in pedes exsilijt, ac postridiè alacri passu S. Dominici Templum adijt, Rosæ benefactricis sepulchrum inuisit, actisque gratijs donum, vti venerat, incolumis repedauit.

Mariam de Vera dolores stomachi, lethales vomitus, dyssenteria, & malignæ febres ad extrema deduxerant, iamque per octiduum præsumptis morientium Sacramentis luctabatur cum anima protinùs egressura. Sic laboranti affertur imago Rosæ, quam ægra pijs osculis de-

lis deuenerans ; & in amplexibus tenens , placido sopore nonnihil conquieuit. Euigilans,ac sese integerrimè sanam admirans in refectionem cibos petijt, lectulo se proripuit , arulam collocandæ imagini adaptauit , luminaria accendit , lætisque gratiarum actionibus euidentiam tanti miraculi deprædicauit.

Hæc singula ritè ad S. Sedem Apostolicam perlata fel. rec. Clementem IX. Prędecessorē Sanctitatis V. promouerunt,vt datis Pontificijs litteris indulgeret solemni cultu Virginē Rosam à Christi fidelibus Beatæ nomine vocari , & inuocari ; postque ritum Beatificationis in Vaticana Basilica celeberrimè peractum , & successiuè ex Apostolica pariter concessione repetitos dictæ solemnitatis publicos applausus per diuersos Ecclesiasticorum in Vrbe cętus, cum pleno indulgentiarum lucro , rursus per alias litteras in forma Breuis concessit ex eodem thesauro Ecclesiæ , quod vbicumque die per locorum Ordinarios designanda,eadem celebritas peractæ Beatificationis officiosè in aliqua Limanæ Ciuitatis , aut Archidiœcesis Ecclesia, vel in Cathedralibus Hispaniarum, & Indiarum,& Oppidi Matriti,vel in vniuersis Ordinis S.Dominici Ecclesijs,tùm Fratruū,tùm Monialium festiuo ritu obiretur, fideles verò pœnitentes, confessi,& sacta Communione refecti , plenariam adquirant suorum peccatorum Indulgentiam , & remissionem , si à primis Vesperis vsque ad sequentis diei occasum Solis deuotè aliquam dd. Ecclesiarum visitarint . Deindè sub eadem forma plenariam hanc Indulgentiam concessit diei festo B. Rosæ quotannis recursuro in Limensi Metropolitana, in singulis Occidentalium, Indiarum , atque Hispaniarum Ecclesijs tàm prædicti Ordinis, tùm Fratrum,quàm Monialium,tùm in reliquis earumdem Indiarum Cathedralibus, ac Metropolitanis . Vlterius anniuersarium de B. Rosa Officium , & Missam extendit permissiuè ad vniuersum Clerum, quà secularem, quà vtriusque sexus Regularem omnium Prouinciarum,& Regnorum in America, & Indijs Regi Catholico subiectorum,adiecta insuper octaua solemni,& Beatæ Rosæ nomine in Romanum Martyrologium relato,verbis à S. Rituū Congregatione peculiariter approbatis . Posthæc fauore singularissimo declarauit, atque indulsit Ciuitati Regum, totique Regno Peruano specialiter acceptare , & colere B. Rosam sub titulo *Patrona principalioris* , cum omnibus prærogatiuis huic titulo debitis, cumque præcepto annuum illius festum ab vniuersis illis fidelibus ritè sanctificandi,tùm Officium à toto ibidem Clero seculari ac regulari recitandi de B.Rosa,tanquam *Patrona principaliori*. Idem Pontifex concessionem anniuersarij de dicta Beata Rosa officij,& indulgentias prædictas extendit ad Regium Sacellum Serenissimæ Reginæ Magnæ Britanniæ .

Porrò

orrò Sanctitas Vestra ijsdem pietatis vestigijs Paternè insistens clementissimè indulsit, quod perpetuis futuris temporibus per vniuersas Prouincias, Regna, Status, Regiones, ac Dominia vbique locorum Leopoldo Romanorum Regi in Imperatorem electo, & Carolo Secundo Regi Catholico, Domuique Austriacæ subiecta: Clerus omnis, tàm sæcularis, quàm vtriusque sexus regularis quotannis die 26. mensis Augusti de eadem Beata Rosa officium sub ritu duplici recitare, & Missam respectiuè possit celebrare. Insuper hanc Beatam Decreto speciali elegit, ac declarauit cum eisdem prærogatiuis *Patronam principaliorem* pro vniuersis ac singulis totius Americanæ Terræ firmæ, Insularum Philippinarum, atq; Indiarum Prouincijs, Regnis, ac Regionibus, illiusque annuum festum de præcepto inibi ab omnibus seruari constituit. Demum crescente in dies ergà Beatam Rosam vbique mirabili populorum deuotione, Sanctitas Vestra per totum Terrarum Orbem vniuerso, tùm sæculari, tùm regulari Clero pro futuris perpetuis temporibus benignè indulsit, de eadem Virgine per anni circulum celebrare Missam, siuè ex voto, siuè ex libera deuotione.

ındè noui Processus accuratissimè fuerunt instituti ad probanda ea, quæ superuenerunt post indultam huic Beatæ publicam venerationem, & cultum, approbata fuit eorum validitas, comperta legitimè ngens percrebrescentia religiosi cultus, deuotionis, ac piæ venerationis passim in populo Christiano, examinata noua B. Rosæ miracula, postque maturrimam horum discussionem ex ijs quatuor à Sanctitate V. fuere admissa: Bina videlicet ex processu Suessano, quorum primum effulsit in persona Ioannis Zelilli ab imminenti morte mirabiliter præseruati; hunc enim per quatuor menses oppresserat febris hectica tertiæ speciei progressa in exquisitum marasmum cum vlcere pulmonis, tussi marcidum cruorem excreante, c rosione gutturis pariter vlcerati, quibus accesserat febris putrida, & maligna: Vnde æger susceptis Ecclesiæ Sacramentis ad extremū itæ fugientis agonem perductus iacuit sine motu, cessauit arteriarum pulsus, & consona trium Medicorū voce iam in faucibus mortis hærere conclamabatur: sed implorato Beatæ Rosæ potenti auxilio, modicum pulueris è sepulchro eiusdem Beatæ hausit è cochleari qua resolutum, & illicò salutem cum pristino vigore integerrimè ecuperauit: Alterum in Candida Rossetta, Vexilliferi Aloysij il econdo de Caruajal Hispani vxore, cui in præmortui fœtus mirailis partu nimius pro secundarum emissione conatus per triduum dhibitus vna cum illis matricem foras extruserat, quæ deinde frioribus in statu marmoris obduruit, nigra, visuque horrida, & prærandis: (vtpotè trium librarum pondere grauis) molestissimo cruciatu

ciatu

ciatu sic permansit foris per octennium, donec Beatæ huius (cui impensè candida se commendarat) imagine papyracea ventri applicita sensit incontinenti ægra matricem in alnum redijsse. Vnde confestim sana, & robusta lecto exsilijt, ac per domum visa est præ gaudio saltitare.

Alia itidem bina miracula ex processu Panormitano; Videlicet vnum in sanatione mirabili Fr. Seraphini Puglisi ex Ordine B. Mariæ de Monte Carmelo. Vir iste Religiosus maligna febri lethaliter exustus, ac decimoseptimo suæ infirmitatis die omninò derelictus à Medicis constanter asseuerantibus, hora quinta, aut sexta noctis proximè insequentis expiraturum, iamque amissa loquela, & visu luctans cum vltimo agone, mox, vt opem B. Rosæ toto corde implorauit, eamdem habuit manifestè conspicuam, subitoque valens, incolumis, vegetus cum stupore omnium euasit.

Nouissimum denique in Angela la Gibaja, quæ duplici febri tertiana, continua, & maligna, cum ingenti capitis, ac stomachi dolore, flatuumque copia per dies 27. dirè excruciata, demùm à Medico palam conclamata properabat ad mortem, perque sex horarum spatium laborans in agone, hortatu matris inuocauit opem B. Rosæ, oleoque ex lampade coram istius Altari pendula desumpto in stomachi regione, collo, pectore peruncta, statim, & incontinenti pristinæ saluti cum omnimoda fractarum virium reparatione fuit restituta.

His demum iuridicè comprobatis perpensis, atque solidè compertis editum fuit à Sac. Rituum Congregatione Decretum, posse quandocumque S. Vestræ placuerit tutò deueniri ad eiusdem Virginis B. Rosæ solemnem Canonizationem, pro qua tandem feliciter obtinenda, humillimas, atque enixas preces ad Sanctitatis Vestræ Apostolicum Thronum afferunt, iterantque Carolus II. Rex Catholicus, & Marianna Regina Vidua eius Genitrix, Vniuersus Ordo Prædicatorum, & omnes Præsules Hispaniarum, & Indiarum.

Quæ &c.